



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Locutio Dei Ad Cor Religiosi**

**Pawłowski, Daniel**

**Leodii, 1701**

II. Meditatio: De Purgatorio, modisque illud evadendi.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)



# DIEI QUINTÆ

## MEDITATIO II.

### *De Purgatorio.*

Licet de hoc in Exercitiis suis S. P. N. explicitam mentionem non fecerit, fecit tamen implicite, ita loquens: *Si visum fuerit ei, qui tradit Exercitia, expedire ad profectum eorum, qui exercentur, alias Meditationes hic adjicere, ut de morte, ac aliis peccati poenis (inter quas sunt utique poenæ Purgatorii) non se putet prohiberi. Hebd. 1. Exerc. 5. in fine.*

ORATIO PRÆPARATORIA, & PRÆLUDIUM I. *ut supra.*

PRÆLUDIUM II. Pete à DEO gratiam, penetrandi salutiferè poenas Purgatorii, easque vitandi.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem: per Prophetam: *Non miserebitur ejus, qui fecit eum, & qui formavit eum, non parcat ei* Isa. 27. Hoc audiens, considera gravitatem poenarum purgatorii. 1. Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit puniendis in Purgatorio, cujus poenæ, exceptâ temporalitate, eadem sunt, quæ in inferno; est enim

poena damni, nempe carentia visionis beatificæ, cujus unicum momentum prævalet æternitati poenarum sensûs infernalium. Sunt & poenæ sensûs, superantes omnia tormenta hujus mundi, omnia supplicia & carnificinas omnium Martyrum simul sumptas. 2. Quia sunt in Purgatorio aliquæ poenæ sensûs respectu aliquorum, superantes poenam sensûs infernalem; nempe, dum aliquis ob decem peccata mortalia, quæ ante mortem immediatè per Sacramentum poenitentiaë sustulit quoad solam culpam, manente poenâ, punitur; ejus enim poena sensûs in Purgatorio major est, quàm ejus, qui ob unum peccatum mortale in æternum damnatus, poenam sensûs in inferno subit. Et non timebis tam justè severam Domini & judicis tui manum?

II. Audi Deum dicentem *Psal. 74.*  
*Cum accepero tempus, ego justitias judicabo:*  
Et considera, eas, quæ nobis interdum videntur esse justitiæ, interdum injustitias esse apud Deum; puniri quoque in Purgatorio animas justas magnorum meritorum, futuras in sublimi gloria; puniri autem pro minimis culpis, ut de hoc tot habes historias; puniri ob colloquutionem solùm importunam, propter unam impatientiam, propter parum potûs sine facultate Superioris sumpti, propter apposita & consumpta in culina

justo plura ligna, &c. Quid igitur erit tam parvum, quod committere non vereberis? verè igitur omnia opera tua, sciens, quòd Deus non parcat delinquenti.

III. Audi Christum Dominum dicentem: *Esto consentiens adversario tuo citò, dum e. in via cum eo, ne fortè, &c. mittaris in carcerem, Matt. 5.* Et considera modos evadendi Purgatorii carcerem. 1. Evades illum, si adversariis tuis omnes offensas ex corde dimiseris, nec pœnas eorum ullas desideraveris; Dominus enim dicit: *Dimittite, & dimittetur vobis.* 2. Si quidquid tibi in Religione molesti occurrit, patienter tuleris; Religio enim est lentum Martyrium, per Martyrium autem evitatur Purgatorium. 3. Si Christo Domino passo specialiter addictus fueris, ejusque dolores recogitaveris; qui enim dolet cum Christo hîc, non dolebit alibi. 4. Si omnia opera tua satisfactoria animabus Purgatorii inscripseris; contractus enim iste misericordiæ non potest pati miseriam. 5. Si Sacramento Pœnitentiæ, & Eucharistiæ exactè usus fueris. 6. Si actus amoris Dei, & contritionis frequenter elicueris. 7. Si Indulgentiis exactè usus fueris. Propone hæc omnia cum Dei auxilio.

COLLOQUIUM: Æterne Deus, hîc ure, hîc seca, modò in Purgatorio,

& multò magis in æternum parcas. O Sanguis J E S U ! restingue flammam, quæ debentur mihi ! O Mater Dei mei ! ne obliviscaris post mortem clientis tui ! In fine Pater, Ave, & Anima Christi, &c.



## H O R A

### CONSIDERATIONIS,

Tempore pomeridiano,  
Diei quintæ.

*De timenda Pietate, Misericordia,  
& Beneficiis Dei.*

**Q**uis putaret, non solum Dei judicia formidanda esse, sed etiam pietatem, misericordiam & beneficia Dei timeri debere ? Quis impius timet pietatem, atque clementiam erga se ? quis miser metuit misericordiam ? quis Beneficiarius beneficium, donationemque formidat ? amoris hæc, non autem timoris incentiva videntur esse. Et tamen non potest solvi Scriptura, quæ dicit, *Apoc. 15. Quis non timebit te Domine, qui solus pius es ?* Causæ autem timoris istius sunt hæc :

Primò, quia ex pietate, misericordia, & beneficiis Dei occasionaliter interdum nascitur, vel saltem notabiliter aggravatur peccatum. Docet id re ipsâ & verbò, ipse, qui peccatum non fecit, Christus: *Re ipsâ, quia, juxta S. Simeonem, positus in ruinam multorum est; Verbo, dum ait, Joan. 15. Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent.* En ex tanto adventûs Filii Dei beneficio, enatum occasionaliter est peccatum!

Secundò, quia quædam beneficia confert Deus iratus, quæ non conferret placatus, & est quædam misericordia Dei summam importans homini miseriam; sic enim dicit Deus, *Isa. 26. Misereamur impio, & non discet justitiam: quibus verbis, tanquam fulmine ictus S. Bernardus Serm. 24. in cant. exclamat: Misericordiam hanc ego nolo! super omnem iram miseratio ista; volo irascaris mihi Pater misericordiarum, sed illâ irâ, quâ corrigis devium non quâ extrudis de via.* Est quædam misericordia Dei, non flagellari à Deo; audi ergo, quid de hac misericordia sentiat Regius Propheta, *Pf. 72. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia: aperti sunt iniquitate, & impietate sua: ad quod respiciens Petrus Franciscus Bleffensis ait: Epist. 9. Qui non flagellantur temporariter cum hominibus, in perpetuum flagellabun-*

*tur cum demonibus, & qui cum hominibus non laborant, cum demonibus laborabunt. Dignum autem est animadversione, quod, dum dicit Deus: Misereamur im- pio, & non discet justitiam: statim subdat; in terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini. Ecce! in tales fulmen il- lud formidandæ Dei misericordiæ jaci- tur, qui inter bonos iniqui sunt. Soli- dus Sacræ Scripturæ interpret, Corne- lius à Lapide, fulmen hoc divinum ita in nos intorquet; verba ejus sunt: Hæc sibi adaptent, qui in sancta societate, aut Re- ligione dissolutè vivunt; gravis enim in illos incumbet judicii censura.*

Tertiò, quia beneficia Dei interdum dantur in solam compensationem & mercedem temporaneam, pro nonnullis bonis operibus, merè ordinis naturalis, aut supernaturalibus, sed per peccatum mortale mortificatis, pro quibus non dabitur merces æterna, juxta illud de- cretorium Christi effatum, *Matt. 6. A- men dico vobis, receperunt mercedem suam.* Hoc intimè perculerat Sanctum Hila- rionem (ut refert de illo S. Hierony- mus) nam cum ingens ad eum multitu- do conflueret, ob plurima, quæ patra- bat miracula, indeque se æstimari vi- deret, profusas quotidie solvebatur in lachrymas: tanti autem doloris, & de- plorationis causam, inquirentibus disci- pulis, respondebat: *Videtur mihi, Fratres,*

quòd hac hominum aestimatione , jam Deus in hac vita rependat mihi parva illa , qua ei praesto , obsequia.

Quartò , quia quaedam beneficia Dei sunt interdum praefagia malorum eventuum imminentium , perinde atque insolita malacia in mari ordinariè praesaga est magnarum tempestatum. Experientiam habuit hujus praesagii & prognostici, S. P. N. Ignatius : nam , ut perhibet historia nostra *lib. 14. num. 10.* cùm anno quodam feliciter in Societate succedere omnia intellexisset, *Malè, inquit, metuo , ne à nostris alicubi peccatum sit.* Nec mora , paulò pòst summus Pontifex Julius III. persuasus, Nostrorum instinctu , decretum quoddam in Hispania editum esse , ita iratus est contra nostros , ut omnes à suo accessu arceret , nullique Cardinalium de nostris verbum ullum facere permitteret ; tandem tamen ad litteras Ferdinandi Regis Romanorum , vocato ad se S. Ignatio , & informatione acceptâ , animum mutavit.

Quintò , quia beneficiis divinis aliqui interdum obdurantur , talesque erant , de quibus Job *cap. 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini :* S. Paulus dicit *ad Rom. 2.* Nonnullos ex divitiis bonitatis Dei thesaurizâsse sibi iram , seu , ut Chrysof. in hunc locum , Dei beneficentiam in eis improbitatis , ingratitudeque augmen-



rum effecisse. Huc spectat, quod S. Augustinus *Serm. 88. de tempore* ait: *de Pharaone sine dubitatione credamus, quod eum non tam Dei potentia, quam Dei patientia fecerit obdurari, quia dum ab illo pro ineffabili bonitate sua Deus plagas suspendit, ille abdurato corde contra Deum superbus se erexit, abusu nempe bonitatis & indulgentiæ Dei, non autem voluntate Dei obduratus.*

Sextò, quia in die iudicii de singulis Dei misericordiis & beneficiis districtam reddituri sumus rationem, ita ut, cui plus datum est, plus requirendum sit ab eo, & cum augentur dona, rationes etiam crescant donorum, & nos, qui plus aliis accepimus, gravius inde iudicandi sumus, nec tantum iudicandi, sed etiam supplicio afficiendi: id quod S. Chrysostomus in *Psal. 6.* confirmat, adducens legem veteris testamenti, in qua pro peccato unius Sacerdotis, & pro peccato totius populi, unus Deo vitulus offerebatur, aitque admirans: pro universo populo, qui peccarat, tantum offerebatur Sacrificium, quantum pro solo Sacerdote! Et subdit causam hanc: *Quia, quò major est auctoritas (Sacerdotis à Deo electi) eò est & majus ejus, qui peccat, supplicium.*

Septimò, quia pietas, misericordia, & beneficia Dei, si illis non usi, aut malè usi fuerimus, intolerabili nobis

confusioni erunt in die iudicii, & (quod Deus avertat) in inferno per totam æternitatem. Veritatem hanc ipsa essentialis veritas Christus, inculcat, *Matth. 21. Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in te, olim in cinere & cilicio poenitentiam egissent: Dico vobis, & Sidoni remissus erit in die iudicij, quàm vobis. Et tu Capharnaum, &c. Viri Ninivite surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, Regina Austri surget & condemnabit eam, &c.*

Refert Dionysius Carthusianus *art. 30. de 4. noviss. p. 2. c. 203.* Et habetur in vitis PP. Adolescentem quendam Religioni nomen dare volentem, à Matre impeditum, tandem evicisse, hoc Epiphonemate sæpiùs repetito: *Volo salvare animam meam.* Is in Religione, primis fervoribus extinctis, intepuit: mortua Matre, & ipse in morbum incidit, in quo raptus spiritu, atque ad iudicium Dei adductus vidit Matrem, quæ illum intuita inter damnandos exclamavit: *quid est hoc fili? quomodo huc redactus es? & ubi est illud, quod mihi oggerabas, volo salvare animam meam? Ideòne Religionem iniisti? Hac Matris exprobratione ita confusus est, ut redux ad se, & à morbo liber factus, per austeram duxerit vitam, rigoremque hunc dissuadentibus nonnullis, dicere*